procuratorem omnino. Sed hanc quidem antiquitas pro dignitatum honore ſcripſit: multos autem conſpicimus dignitates quidem adeptos, & inter clariſſimos inſcriptos, aut comites, aut tribunos, vel ſi qui alii conſiſtunt hujuſmodi: ſubſtantiæ vero minoris dominos, ut penitus non ſufficiant ad procuratores ordinandos, & propter hoc agendas expenſas.

CAP. I.

SAncimus [1] igitur uſque ad magnificentiſſimos Illuſtres hæc valere, & modis omnibus eos per procuratores pecuniarias exercere cauſas: nec non etiam injuriarum per procuratorem criminali modo movere, ſecundum quod datum eſt eis ſuper hoc privilegium: ne [2] cogantur aut ſedere [3] cum judicibus cum judicant: aut ſtare [4] rurſus tanquam litigantes: ex utroque enim cauſa videtur incauta, aut dignitatibus injuriam ſuſtinentibus, aut judiciali ſchemate indigne procedente. Poſt magnificentiſſimos igitur illuſtres, omnibus licentia ſit volentibus procuratores ordinare, & per ſe lites exercere, nulla ex hoc neque prohibitione, neque damno, neque pœna inferenda eis.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ viſa ſunt nobis, & per hanc ſacram declarata ſunt legem, omnibus faciat manifeſta, quæ moris ſunt ſuper his agens. Dat. prid. Non. Jun. *Conſtantinop.* Imper. DN. JUSTIN. PP. Auguſt. Anno XII. JOANNE V. C. CONS.

1 7. *Ecl.* 8. *c.* 28. 2 Cauſa hujus conſtitutionis. 3 Non eſt honeſtum, ut qui judicatur, cum judicibus ſedeat. Econtra honeſtatis eſſe non videtur, ut dignitate major ſtet coram judice inferiore. Honeſte igitur conſtitutum, ut perſonæ illuſtres, & quæ ſupra eas ſunt, in pecuniariis cauſis (& actione injuriarum, quantumvis criminaliter mota) per procuratorem omnino agant: clariſſimæ vero agant, ſi voluerint. 4 Dixi ad *l.* 3. *C. ubi ſenatores.*

COLLATIO SEXTA.

TIT. I.

UT HI QUI OBLIGATAS SE HABERE PERHIBENT RES MINORUM [1] AUT OBLIGATI SUNT EIS, AD EORUM GUBERNATIONEM PENITUS NON [2] ACCEDANT: ET CURATORES NULLO [3] MODO SUSCIPIANT CESSIONES ADVERSUS EOS, QUORUM CURATIONEM AGUNT, AUT EGERUNT: HÆC AUTEM GENERALITER VALEBUNT IN OMNI CURATIONE, IN QUIBUS PERSONIS LEGES CURATORES PRÆBENT: ET DE GUBERNATIONE PECUNIARUM COMPETENTIUM EIS, QUORUM NEGOTIA ADMINISTRANTUR: ET QUANDO EAS RECONDI AUT MUTUARI OPORTET, AUT EX EIS REDITUS COMPARARI.

NOVELLA CONSTIT. LXXII.

Imper. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconſuli ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

OMnia quidem legiſlatori reipublicæ in magna cura ſunt, quemadmodum optime ſe habeant, & peccati nihil relinquatur: præcipue autem inſtrumenta minorum, & quæ circa eos curatio eſt, ſtudioſa [4] cura eſt eis qui proferendi leges a Deo licentiam perceperunt: dicimus autem de eo qui imperat. Multas itaque cauſas audivimus, ubi adminiſtrantibus curatoribus ceſſiones factæ ſunt adverſus minores, ſive puberes, ſive impuberes quidem, in ſecunda [5] tamen ætate conſtitutos: & mox efficiuntur eorum domini facultatum, aut non exiſtentia forſitan debita ſubeuntes, aut parvo pretio ceſſiones [6] accipientes, eorum quæ ſunt undique fragiles [7]: aut etiam celantes *deſuſcepta* [8] exiſtentia in minorum rebus, & ita ceſſiones accipientes ſecundum multas & plures occaſiones. Quid enim homo ad malitiam ſemel [9] deditus non adinveniat, ut minorum res proprias faciat?

CAP. I.

Qui tutores vel curatores pupillo vel adoleſcenti eſſe non poſſunt [10].

HÆc omnia lege corrigere volumus, & præcipue illud, ut ſi quis obligatum [11] habuerit minorem, aut ejus res: hunc non omnino ad curationem ejus, vel ſi a legibus vocetur, accedere, quid enim non agat pro ſe dominus ejuſdem exiſtens, & adverſarii rerum detentator nuper effectus? Propter hoc enim & illud ſancimus, ut ſi apertiſſime manifeſtum eſt, quia is qui ſit adminiſtrator, ipſe eſt juri [12] minoris obnoxius: neque [13] ipſe curator erit, necubi [14] aut cautionem [15] furetur, aut alias probationes [16] quæ erant minoris, corrumpat: & curatio fiat ei rerum interitus propriarum. Hoc itaque lege [17] tutiſſima colligetur, ut nullus eorum qui obligatas perhibent habere res defuncti, ipſumque minorem & ejus res, aut etiam qui aperte obligatus exiſtit, ad curationem ejus accedat: neque habeat licentiam tale aliquid agere.

CAP. II.

Ut [18] *tutori qui factus eſt pupilli debitor aut creditor curator adjungatur.*

SEd [19] & ſi quis jam curam [20] gerens, obligatum ſibi effectum habeat minorem, in ſe forſan hereditate [21] perlata cujuſpiam, qui minorem habuit obligatum, aut alia hujuſmodi occaſione: non jam ſolum eum eſſe fidelem ad impuberum aut adoleſcentium curam, ſed conjungi tutorem alterum aut curatorem, (hoc quod in plurimis legum caſibus invenimus) ut [22] cuſtodiat ille, ne fiat adverſus adoleſcentem, aut ejus ſubſtantiam, ab eo, qui eum habet obligatum, in medio [23] ulla malignitas: ſed hoc ipſum obſervet, ejuſque jusjurandum [24], jurans in ordinatione, quia hoc cuſtodiet, etiam eam, quæ ex proditione [25] ad concuratorem pœna eſt, reformidans.

CAP. III [26].

Ut a tutela vel cura nullus debiti prætextu excuſetur niſi hoc probaverit.

UT autem non demus recuſationem omnibus hominibus tutelæ vel curæ, ſi dicant quia obligatas habent res adoleſcentium, aut aperte obligati ſunt, ſancimus, ſi quis dixerit obligatum ſe habere minorem, aut ejus res, aut etiam minoris parentes, mox oſtendere hoc ipſum recuſationis tempore apud eum qui dedit curatorem, & abſolvi: aut ſi incertum eſt hoc, præbeat ad ſancta eloquia jusjurandum, quia ex veritate obligatum eum ſe habere credens [27] recuſat: & ſi hoc factum fuerit, tutelam non contingere, neque curam: ſed eum ab ea re procul expelli, ne ex hoc ipſo hoſtem [28], & non curatorem adoleſcentulo præbeamus.

CAP. IV.

Si tutor vel curator ſe debitorem vel creditorem eſſe ab initio tacuerit.

SI vero tacuerit [29] in initio hoc, & factus fuerit curator: ſciat omni actione adverſus minorem, ſi vera fuerit, ſe caſurum, propter hoc quod ex ſtudio adverſus hanc noſtram legem firmetur. Sed ſi quis aperte obligatus exiſtens tacuerit, ſciat etiam iſte, quia ſuſtinebit pœnam, quod non poſſit redhibitionibus [30] aut aliis ſolutionibus debiti ſe miſcere tempore curationis forſan arte compoſitis.

CAP. V.

Ut curatores nullo modo ceſſiones ſuſcipiant adverſus minores.

QUod ſi quis (ſicuti dictum eſt) factus curator, deinde minoris res fuerit perſcrutatus, & ceſſiones in [31] ſemetipſo, aut per donationem, aut per venditionem, aut alio quolibet egerit modo: ſciat omnino infirmum [32] eſſe quod ab eo fuerit factum: & neque per ſe, neque per interpoſitam perſonam tale aliquid agi: ſed undique invalida hæc talia fieri, tanquam ſi neque ab initio facta fuerint. Manifeſtum eſt namque, quia ſi in talem cogitationem inciderit, omnia agi & diſponi ad interitum ſuæ animæ, & ad rerum, quæ ejus quaſi videntur, utilitatem.

§. 1. Et non ſolum donec fuerit curator, prohibemus eum ab hujuſmodi ceſſione: ſed neque [33] poſtea gerere concedimus: ne forſan hoc conſiderans, abſcondat rem, & præordinans illud male, poſtmodum dum a cura ceſſaverit, & latere fecerit quod maligne egerit, forte jam nunc non curator exiſtens ceſſionem accipiat, & rem maligne diſponat. Tunc enim infirmum eſſe volumus quod agitur, & non poſſe ullam actionem valere ceſſam adverſus eum, cujus prius curam adminiſtraverat, ſed pro non facto id eſſe, & lucrum fieri adoleſcentis: licet hæc ceſſio pro veris cauſis facta ſit: non ut remeet rurſus ad eum qui ceſſit, tanquam ſi nihil quaſi in medium contra legem viſum fuerit actum: ſed cadat [34] ab eis, quæ ex hoc ſunt quæſita propter tranſgreſſionem noſtræ legis, & hæc minorem lucrari. Nam ſi non hanc impoſuerimus pœnam: facilia erunt ea quæ ſunt malignitatis, & eum qui ceſſit, faciet iterum movere: & per medium ea quæ ſunt ceſſionis, recipiet, legem per ſuam malignitatem circumveniens. Et hæc [35] dicimus [36] in omni curatore, in quibus omnino curas aliquorum introducunt leges, prodigorum forte, aut furioſorum, aut amentium, aut ſi quid aliud jam lex dixit, aut ſi quid inopinabile natura adinvenerit.

CAP. VI.

De adminiſtratione pecuniæ pupilli vel minorum.

QUoniam [37] autem videmus curatores, quicunque Dei memoriam habent [38], ad curam difficulter accedere [39] (nam plurimis volentibus ea quæ minorum ſunt impie in ſe vertere, amabilis [40] eſt res & appetibilis) videmus autem præcipue difficilem eſſe curatorum cauſam propter fœneratorum neceſſitatem: ſancimus nullam [41] neceſſitatem ex legibus eſſe curatoribus minorum pecunias [42] fœnerare, ſed caute [43] reponere [44] & reſervare: quoniam

1 De tutoribus, *Index Reginæ*; adde Julianum *conſt.* 65. 2 Et ita abrogatur *l.* 8. *C. qui dare tutores*, *l.* 7. *C. de excuſ. tut.* 3 Et ita abrogatur *l.* 12. *ff. de reb. eor. qui ſub tut.* & merito id abrogatum eſt: poterant enim tutores redimere actiones, revera inutiles, [illegible]

[illegible]

23 Id eſt, in ipſo ſitu tutelæ vel curæ. 24 Vid. Roland. *ibid. n.* 6. 25 Προδοσίας

ποινὴν intelligit, pœnam conſtitutam tutoribus & curatoribus male adminiſtrantibus. 26 Jul. *ibid. num.* 225. 27 Jurari ex opinione poteſt. Qualiſcunque igitur ſit lis pecuniaria, tutor excuſari poteſt, olim eam oportuit capitalem eſſe, vel ſtatus, *l.* 6. §. 18. *ff.* [illegible]

[illegible]

43 Ἀσφαλῶς ἀποτίθεσθαι κ. φυλάττειν. *Scrimg.* Licet tutori aut curatori pecuniam pupilli in tuto deponere, non fœnori occupare.

melius

melius [1] eſt eis in antiquis tutamen manere, quam uſurarum appetitione etiam antiqua [2] pecunia cadere, & periclitari quidem curatorem, ſi non mutuaverit, rurſus autem ſi mutuaverit, periculum ſuſtinere, facto forſan in debitis detrimento. Si vero ipſe ſponte mutuare voluerit, ſub [3] obligatione forte pignorum, aut ſub aliis, quæ putantur indubitatæ, cautelis: tunc habeat quidem duorum menſium per ſingulos annos [4] inducias, hoc quod leges laxamentum [5] vocant: ſciat autem mutui periculum omnino ad ſe venturum.

CAP. VII.

SI [6] vero habeat [7] reditus ſufficientes [8], is cujus cura adminiſtratur, eos expendat. Si vero plus ſint, quam ſufficiat, quod plus eſt, reponat [9]. Quod ſi mobilis forte ejus cujus cura adminiſtratur, ſubſtantia eſt: tunc [10] illud ſolum mutuare curator cogatur, quantum ad diſpenſationem ſufficiet adoleſcenti, ejuſque rebus: quod vero plus eſt, caute recondatur. Licebit [11] autem ei cum omni ſubtilitate perſcrutari, ſi aliquos forſan invenire caute potuerit reditus [12], & comparare minori ex abundantibus [13] pecuniis, modicis functionibus publicis obligatos: venditorem vero habentes idoneum, & opulentos reditus exiſtentes: damus enim ei licentiam & hoc agere: ſcienti quia ſi quid horum neglexerit, hujuſmodi emptionis ipſum reſpiciet [14] periculum.

CAP. [15] VIII.

SI [16] vero tantum ſolummodo ſit minoris aurum cujus [17] uſuræ vix eum & qui ejus ſunt paſcere, & aliquam aliam ei præbere vitæ diſpenſationem ſufficiant: tunc neceſſitatis ratio nos etiam ad hoc vocat, ut curatores reſpicientes [18] ad Deum, ita faciant gubernationem tanquam in ſuis rebus. Etenim volumus dum [19] celebratur decretum quod tradit curam ei qui ad eam accedit, etiam jusjurandum eum dicere ſacroſancta Dei Evangelia tangentem: quia per omnem pergens viam, utilitatem adoleſcentis aget, quod tamen non excipiet eum a ratiociniis [20], neque a legis ordine, ſed cautionem [21] faciet ad rerum gubernationem, timentem ſemper circa eas, propter jurisjurandi memoriam factam. Hæc lex a nobis pro cautela ſit poſita horum qui curatoribus indigent. Si quid vero & aliud adinvenerimus, neque hoc lege complecti pigebit: ut per omnia patres [22] eorum, qui ſibi auxiliari nequeunt, exiſtamus.

EPILOGUS.

† Tua igitur eminentia, quæ viſa ſunt nobis, edictis per provincias quibus præes, utens, omnibus faciat manifeſta: ut nullum lateant, quæ a nobis pie & pro ſubjectorum providentia ſancita ſunt. Datum Kal. Jun. CP. Imper. DN. JUSTIN. PP. Auguſt. Anno XII. JOANNE V. C. CONS. [23].

TIT. II.

DE INSTRUMENTORUM [24] CAUTELA ET FIDE, ET PRIMUM DE DEPOSITO [25], ET MUTUO, ET [26] ALIIS DOCUMENTIS PRIVATE QUIDEM SCRIPTIS, HABENTIBUS AUTEM TESTES, ET DE NON HABENTIBUS TESTES: ET DE INSTRUMENTIS PUBLICE CONFECTIS: ET DE COLLATIONIBUS MANUS PROPRIÆ SCRIPTURÆ: ET DE EXPOSITIS INSTRUMENTIS AB ILLITERATIS, AUT PAUCAS LITERAS SCIENTIBUS, ET DE NON SCRIPTIS CONTRACTIBUS: ET DE CONTRACTIBUS USQUE AD UNAM LIBRAM AURI: ET DE CONTRACTIBUS QUI IN AGRIS FIUNT: ET UT IN DOCUMENTIS ET CONTRACTIBUS FUTURIS LOCUM HABEAT LEX.

NOVELLA CONSTIT. LXXIII.

Idem Imp. Joanni glorioſiſſ. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconſuli & patricio.

PRÆFATIO.

NOvimus noſtras leges [27] quæ volunt ex collatione literarum fidem dari documentis, & quia quidam imperatorum ſuper excreſcente jam malitia eorum qui adulterantur documenta, hæc talia prohibuerunt: illud ſtudium falſatoribus eſſe credentes, ut ad imitationem literarum ſemetipſos maxime exercerent, eo quod *nihil eſt aliud falſitas* [28], *niſi veritatis imitatio.* Quoniam igitur in his temporibus innumeras invenimus falſitates in judiciis multis, quorum fuimus auditores, & quoddam inopinabile ex Armenia nobis exortum eſt. Oblato namque commutationis [29] documento, & literis diſſimilibus judicatis, quoniam poſtea inventi ſunt ii qui de documento teſtati ſunt, ſubſcriptionem ſubdentes, & eam recognoſcentes, fidem ſuſcepit documentum, & quoddam hinc inopinabile occurrit, eo quod litteræ quidem ſine fide viſæ ſunt, licet examinata reſponſa verorum teſtium cum veritate concordaverunt: & hoc per fidem teſtium, quæ videtur quodammodo eſſe cauta. videmus tamen naturam ejus crebro egentem rei examinatione, quando literarum diſſimilitudinem ſæpe quidem tempus [30] facit, non [31] enim ita quis ſcribit juvenis & robuſtus, ac ſenex & forte tremens, ſæpe autem & languor hoc facit: & quidem hoc dicimus, quando calami & atramenti immutatio, ſimilitudinis per omnia aufert puritatem, & nec invenimus de reliquo dicere quanta natura [32] generans innovat, & legislatoribus nobis præbet cauſas.

§. 1. Quia igitur imperium propterea Deus de [33] cœlo conſtituit, ut [34] difficilibus imponat quæ apud eum ſunt bona & leges aptet ſecundum naturæ varietatem: propterea exiſtimavimus oportere & hanc ſcribere ſanctionem, & dare in commune ſubjectis, quos nobis Deus & prius tradidit, & paulatim ſemper adjiciet. Etenim quiddam de depoſito in ſcripto dubitatum & ad contentionem deductum invenimus, & oportet etiam omnino horum proſpicere: itaque illico nobis eſt a depoſito inchoandum.

CAP. I. [35].

De inſtrumentorum cautela & fide: & primum de depoſito, quemadmodum caute dari poteſt.

SI [36] quis igitur vult caute deponere [37], non ſoli [38] credat accipientis ſcripturæ, (hoc quod etiam in judicio quæſitum eſt, quia enim non [39] profeſſus eſt is qui ſcripſiſſe dicebatur, *ſuam eſſe ſcripturam:* magnum res habuit tumultum & ſcribere alia coactus [40] eſt, quæ viſa ſunt veluti ſimilia quidem, non tamen per omnia ſimilia, & quantum ad illam ſcripturam ſine termino cauſa permanſit) ſed is qui depoſitum dat, advocet [41] etiam teſtes, ut poſſibile eſt [42] honeſtos & fide dignos, & non minus tribus [43]: ut non in ſola ſcriptura & ejus examinatione pendamus: ſed ſit judicantibus etiam teſtium ſolatium. Etenim tales teſtificationes ſuſcipimus, quas præſentes teſtes dicant: *quia his præſentibus ſubſcripſit qui documentum fecit, & hunc noverunt.* Nam ſi invenerimus & tales quoſdam teſtes non minus quam tres dignos fide exiſtentes: neque [44] talem interdicimus fidem: neque enim ut abbreviemus probationes, ponimus legem: ſed ut eſſe eas & caute eſſe faciamus.

CAP. II.

Quemadmodum ſine tabellione inſtrumentum mutui vel depoſiti caute fieri poteſt.

SEd & ſi quis aut mutui inſtrumentum, aut alterius cujuſpiam faciat, & noluerit hoc in publico confiteri, quod & in depoſito definivimus, non ex ipſo videatur credibile quod ſcribitur ſuper mutuo documentum, niſi etiam teſtium habeat præſentiam fide dignorum non minus trium [45]: ut ſive veniant, & propriis ſubſcriptionibus atteſtentur: ſive [46] alii quidam teſtificentur, *quia præſentibus eis confectum eſt documentum:* fidem cauſa ex utroque percipiat, etiam literarum examinatione penitus non repulſa, ſed ſola non ſufficiente, augmento autem teſtium confirmanda.

CAP. III.

Si [47] *literarum fides a voce teſtium diſcrepet.*

SI vero tale aliquid contigerit quale in Armenia factum eſt, ut aliud quidem faciat collatio literarum, aliud vero teſtimonia: tunc nos quidem exiſtimavimus ea quæ viva [48] dicuntur voce, & cum jurejurando: hæc digniora [49] fide quam ſcripturam ipſam ſecundum ſe ſubſiſtere. Veruntamen ſit hoc judicantis prudentiæ [50] ſimul atque religionis, ut veracibus potius pro talibus credat: & nos quidem ſecundum hunc modum exiſtimavimus oportere probari fidelia documenta.

CAP. IV.

De inſtrumentis incaute [51] *compoſitis.*

SI tamen quiſquam aut deponens, aut mutuans, aut aliter contrahens, contentus ſit ſcriptura ſola ejus cum quo contrahit: in ipſo erit ut ſciat quia in illius fide totum ipſe ſuſpendit [52], & quidem quantum ex ſcriptura non ſufficiens videbitur fides, niſi [53] ſecundum noſtram legem

1 Melius eſt, ſortem impuberis vel adoleſcentis conſervari, quam uſurarum cupiditate etiam ſortem amittere. 2 Id eſt ſorte. Uſurarum cupiditate, ſors plerumque amittitur. 3 Id eſt, ſub pignoribus. 4 Uſuras annuatim datas fuiſſe, non ad menſes: denique uſuras annuas, Juſtiniani ſeculo, fuiſſe, non menſtruas, hinc colligunt. 5 Ita appellat Græc. autor & Jul. hic. Olim Tutores cogebantur nummos pupillares fœnori dare intra ſex primos menſes adeptæ tutelæ. *l.* 15. *ff. de admin. tut.* ſequentibus annis, intra menſes duos. *l.* 7. §. 11. *ff. de adm. tut.* Hodie tutor aut curator, non cogitur pecuniam pupillorum fœnori dare, niſi univerſa pupilli ſubſtantia ſit mobilis, *c.* 7. J. *h. t.* ſed ſi ſemel dederit (puta ad tempus communiter receptum, id eſt, unius anni) puto, optime ex hoc loco colligi, ad eam perpetuo fœnerandam teneri. Perpetuo: & tamen cum laxamento duorum menſium, ut quolibet anno duorum menſium ſpatium habeat, ad idoneos debitores perquirendos. Quid ſi pecunia illa uſus ſit? nullum laxamentum ei datur, vid. 5. *Harmenop.* Id tamen paulo aliter explicat Cujac. 5. *obſ.* 12. & *cap.* 13. *de præſc. num.* 4. quem vide. duo hinc collige, Tutorem ſemel fœnerantem pupilli pecuniam teneri perpetuo eam fœnori occupare, & ita uſuras (ante redditas rationes) præſtare, laxamento tamen ei dato duorum menſium ſingulis annis, ſemel ea utentem, quamdiu non erunt redditæ rationes, uſurarum nomine pupillo obſtringi, vid. *l. qui ſine.* 38. *ff. de negotiis*, qui ſi alias neque fœnori dediſſet, neque uſus ea fuiſſet, non teneretur uſuras præſtare. J. *hic.* Quid ſi tutor eo caſu pecuniam pupillarem coram teſtibus aut judice poſtea repræſentavit, eamque teſtium ſignis obſignatam poſtea recepit: puto laxamentum ei dari duorum menſium ad eam fœnori reponendam, ut idem ſua in cauſa quod in aliena cuſtodiat. Uſus autem pecuniæ pupillaris facile deprehenditur ex circumſtantiis, velut ſi novum recenſque genus monetæ, hoc eſt incognitum patri pupilli, aut cognitum quidem, ſed non multo rationes ante redditas cuſum pupillo repræſentet. 6 Jul. *num.* 230. 7 Notandum eſt hoc tutoribus & pupillis. 8 Ex reditibus (ſi ſint ſufficientes) pupilli alendi, ideoque pecunia (ſi quæ ſit pupillo) tutori ſacra eſſe debet, poteſt tamen eam fœnori occupare, *c.* 6. J. *h. t.* 9 Nota de pecunia pupillari ex reditibus ejus redacta, per tutorem conſervanda vel impendenda. 10 Nota rurſus. De pecunia pupillari fœneranda. 11 Nota tertio. De pecunia pupillari & minorum in emptionem aliquam collocanda. 12 Reditus annui in pecunia & fructibus conſiſtentes, poſſunt licite emi, nec contractus hujuſmodi emptionis illicitus eſt. *Novell.* 160. *c.* 1. *ubi dixi.* 13 Ex ſuperflua pecunia Jul. *d. loco.* 14 Periculum nominum contractorum ſpectat ad tutorem. 15 Jul. *num.* 231. 16 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Quod nunc, Cod. de curat. fur.* 17 Nota caſum ſingularem, Pupillus rem ſuam habens in ſolis mobilibus, ſi ex eorum reditibus ali non poteſt, tutor ex ſorte bona fide aliquid deminuere poterit, *ut hic:* Si poteſt ali, ſortem non attinget. Si plusquam ali, ſuperfluum deponet. *c.* 7. J. *h. t.* At ſi pupillus mobilia & immobilia habuerit, tutor mobilia tempore peritura diſtrahet. *l.* 22. *C. de adm. tut.* Ex reditibus vero & uſuris pupillum alet. *c.* 7. neutram ſortem attinget, niſi utrimque redactæ uſuræ pupillo alendo non ſufficiant *d. c.* 7. tunc enim ex alterutro poterit deminuere & magis ex ſorte mobilium, quam immobilium, *arg. d. l.* 22. Si plus quam ali poteſt, ſuperfluum deponet, ut caſu ſuperiore. 18 Cum cogitatione cœleſtis judicis. Jul. *d. loco.* 19 Antequam ſe adminiſtrationi immiſceat. Jul. *n.* 232. 20 Tutor ratione jurisjurandi non eſt ἀνεκλόγιστος. 21 Al. *cautiorem.* Rittershuſ. *expoſit. Novell. part.* 8. *cap.* 9. *num.* 4. Anſ. 22 Princeps pupillorum pater. Ideoque ſolent fiſci principis ac regis advocati & procuratores pupillis, quoties eorum cauſa tractatur & agitur, facile ſe conjungere, ut eos videlicet defendant. 23 Id eſt, anno 538.

24 De inſtrumentis, *Index Reginæ.* adde Jul. *conſt.* 66. Quomodo depoſitum caute poni ſeu dari poteſt, adde 4. *C.* 21. 25 Huc refer *c.* 1. 2. J. 26 Huc refer *c.* 3. J. *h. t.* 27 *Nov.* 49. *c.* 2. 28 Adde 1. Harmen. 6. §. 10. *l.* 23. *ff. ad l. Corn. de falſis.* 29 Permutationis. 30 Tempus efficit, ut unius ejuſdemque hominis diverſæ quodammodo videantur ſcripturæ. 31 Quæ res efficiant, ut unius ejuſdemque hominis ſcriptura diverſorum videatur hominum. 32 Natura generans multa innovat, *Nov.* 74. *c.* 1. 33 Magiſtratus a Deo. 34 Scopus magiſtratuum. 35 Jul. *num.* 233. 36 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si quis vult. C. qui potior.* adde 22. *Ecl.* 4. *c.* 1. & 3. Harm. 2. 37 Id eſt, alicui depoſitum tradere, vel rem cuſtodiendam committere. 38 Cur ita? vid. J. *h. t.* 39 Id eſt, quia noluit adgnoſcere, ſuam eſſe ſcripturam: quia ſuam denegavit. 40 Negans cautionem aliquam a ſe ſcriptam, ſcribere cogitur, ut ex nova ejus ſcriptura veritas antiquioris arguatur. 41 Cautio deponenti obſervanda. 42 Quid ſi nolit depoſitum evulgare? vid. *c.* 2. J. *hic.* 43 Vid. Jul. *c.* 66. *n.* 233. hoc neceſſitatis cauſa non datur, ſed majoris probationis gratia, *v. nam ſi.* J. *h. t.* 44 Depoſitum probari non poteſt paucioribus teſtibus quam tribus: alia tamen probatur ratione, quam teſtibus *c.* 4. *in fin.* J. *h. t.* 45 *l.* 20. *C. de fid. inſtrum.* Imo quinque: 1. Harm. 6. §. 3. 46 Nihil intereſt, utrum ſubſcripſerint teſtes, an præſentibus ipſis inſtrumentum depoſiti fuerit compoſitum, Jul. *conſt.* 60. *n.* 234. 47 1. Harm. 6. §. 4. 48 Deeſt hæc particula apud Scrimgerum. 49 Viva vox cum jurejurando ſcripturam ſuperat, *temoin paſſe lettre:* dixi ad *l.* 15. *C. de fide inſtrum.* 1. Harmen. 6. *c.* περὶ ἀγράφων. 50 Vid. *l.* 3. *C. de teſtib.* 51 Id eſt, nuda ſuſcipientis ſcriptura. 52 Ideoque incaute facturus eſt. Jul. *hic n.* 236. 53 Interpretatio eſt corrupta. Senſus hic eſt: Deponentem, accepta depoſitarii nuda ſcriptura, pendere pene ex ſola fide depoſitarii, cum is poſſit facile ſcripturam negare: ejuſque ſcripturam eſſe, difficilimum ſit (propter varietatem, quæ in ſcripturis accidit *in pr.* S. *hic.*) probare, ſupereſſe tamen vel hoc divinum remedium, ut jusjurandum depoſitario deferatur.

adjicia-

adjiciatur documento credulitas, aut præſentia teſtium coram quibus contractus eſt factus: aut forſitan noviſſimum [1] ejus rei refugium invenerit: dicimus autem quod ex jurejurando eſt, nam non infirmamus quod factum eſt: nam falſitates & imitationes metuentes, & nudis eis exiſtentibus non credentes, hujusmodi ſubtilitatem cauſæ addimus: non [2] ut credentes privemus fide ſua circa amicos, ſed ut quantum poſſibile eſt, & perfidiam & negationem multis reconvincamus modis.

CAP. V.

Quomodo tabelliones caute debeant inſtrumenta componere.

SEd & ſi inſtrumenta publice confecta ſint: licet tabellionum habeant ſupplementum [3], adjiciatur & eis antequam [4] compleantur (ſicut dictum eſt) teſtium ex ſcripto præſentia.

CAP. VI.

De comparatione notarum.

OPortet autem judicantes, & ſi qua ſigna [5] invenerint adſcripta chartis, etiam hæc requirere, & legere niti. Plurima namque novimus & ex aliis appáruiſſe, & non facile fidem ex literarum aliarum collatione recipere, propter dudum dictas a nobis cauſas.

CAP. VII.

De comparatione literarum.

SI vero moriantur omnes teſtes, aut forſan abſint, aut aliter non facile ſit fidem ex teſtium ſubſcriptionibus invenire, neque tabellio ſupereſt qui complevit: (ſi quidem publice ſit confectum) quatenus teſtimonium perhibeat pro ſe, aut non eſt in civitate: ſed neceſſe eſt omnino collationem literarum ſuppletiones eorum qui ſubſcripſerint, aſſumere: tunc [6] competens eſt properare quidem ad comparationes, (neque enim eas modis omnibus interdicimus) per omnem autem ſubtilitatem procedere, & omnino, (ſi putaverit eis judex oportere credi,) etiam jusjurandum [7] injicere proferenti: *Quia [8] nihil maligni conſcius in eo quod a ſe profertur, nec quandam artem circa collationem fieri præparans, ſic utitur eo, quatenus neque perimatur quicquam omnino, & per omnia munitio in rebus fiat.* §. 1. In his vero quæ conficiuntur publice [9] documentis, ſi tabellio venerit, & teſtimonium perhibuerit cum jurejurando, ſi quidem non per ſe ſcripſerit, ſed per [10] alium miniſtrantem ſibi, & ille [11], ſi vivit, ſi quidem poſſibile omnino eſt eum venire, & nulla cauſa prohibet ejus adventum, ægritudo forte valida, aut quælibet aliarum neceſſitatum quæ hominibus accidunt. Quod ſi etiam adnumeratorem [12] habuerit inſtrumentum, & ipſe [13] adveniat: ut tres ſint teſtificantes, & non unus. Si vero neque adnumerator [14] aſſumptus eſt, & inſtrumentum ipſe tabellio totum per ſe conſcripſit, atque ſupplevit, aut ſi etiam qui hoc conſcripſit [15], non eſt, aut aliter ipſe venire non valet: tamen cum jurejurando propriæ [16] completioni atteſtetur [17], ut comparationi non fiat locus, ſint etiam ſic credibilia documenta, teſtimonium enim & ex voce complentis factum, & jusjurandum habens adjectum, præbuit quoddam cauſæ monimentum [18]. §. 2. Quod ſi tabellio defunctus eſt, & teſtimonium perhibeatur ſuppletioni ex alia collatione: ſi quidem etiam ſic habeat eum, qui conſcripſit inſtrumentum, viventem, & adnumeratorem: adveniant [19] & illi, ſi quidem præſentes ſunt, & habeat ex collatione adimpletionum & ex teſtibus cauſa fidem. Si vero nullus horum ſit, tunc fiat quidem completionum collatio: non autem ſola hæc ad hoc ſufficiat, ſed & aliorum ſubſcribentium forte aut contrahentium ſcripturæ examinentur: ut ex plurimis comparationibus, tam completionis quam ſubſcribentium forte aut etiam contrahentium, una quædam colligatur undique & efficiatur fides. §. 3. Si vero nihil aliud inveniatur præter collationem inſtrumentorum: quod hactenus valuit, fiat: ut qui profert ad [20] collationis documentum juret ſolemniter [21]. Ut autem aliquod omnino cauſa ſumat augmentum ad majorem negotii fidem: & ipſe qui [22] hoc petit fieri, juret: *quia non aliam idoneam habens fidem, ad collationem inſtrumentorum venit: nec quicquam circa eam egit aut machinatus eſt quod poſſit forte veritatem abſcondere*: de quibus [23] licebit ſeſe liberare contrahentes, ſi conſenſerint utrique ad hoc venire, ut inſinuent [24] inſtrumenta: & profiteantur ea ſub geſtis monumentorum ipſi contrahentes, quatenus priventur nequitia & corruptione & falſitatibus: & quæcunque alia mala corrigentes, præſentem promulgamus legem: iis quæ dudum a nobis in collationibus literarum factarum, per ſcripturam propriæ manus ſancita ſunt, in ſua virtute manentibus: preculdubio & in iis qui literas [25] neſciunt, quæ olim valent in judiciis, ſuam habentibus firmitatem: quoniam quidem ex judiciali forma acceperunt examinationem hæc talia competentem.

CAP. VIII.

Imperiti literarum quomodo caute contrahant.

OPortet vero in iis qui literas [26] neſciunt, & teſtes & omnino [27] tabularios [28] adhiberi, in quibus locis ſunt tabularii, maxime autem teſtes [29] non ignotos [30] contrahentibus: ut quidam ſcribant pro illiterato, aut paucas literas ſciente: alii vero atteſtentur, *quia etiam præſentibus eis hæc geſta ſunt, & ſcierunt eum*: & ita talium inſtrumentorum ſuſcipiatur fides, manifeſtum exiſtens, quia non minus quam quinque [31] teſtes in his talibus adhibendi ſunt, inter quos erit & qui ſcribit pro [32] contrahente, aut totum (aut poſt ea quæ) poſt paucas [33] literas illius poſita ſunt: quatenus nihil omittatur de ſumma ſubtilitate.

CAP. IX.

De contractibus ſine ſcripto compoſitis.

ET hæc dicimus ſuper inſtrumentis ex [34] ſcripto confectis: nam ſi quis facere quemlibet contractum ex [35] non ſcripto voluerit, hoc manifeſtum eſt, quia aut per teſtes, aut per jusjurandum [36] fidem percipiet: actore quidem teſtes deducente, pulſato autem jurante aut referente, ſicuti judex negotium diſpoſuerit. Ut [37] autem nihil ſit neque horum inemendatum: illud quoque adjicere legi bonum eſt, ut ſi usque ad [38] *unam* auri [39] libram fuerit contractus: hujusmodi obſervationem in hoc minime cuſtodiri: ſed ſecundum hoc quod tunc actum eſt, cauſam fieri, ut non de rebus [40] exiguis maximas attritiones homines ſuſtineant. Hæc autem omnia tenere in [41] civitatibus volumus, nam in agris (ubi multa ſimplicitas [42] eſt, & neque ſcribentium aut teſtium multorum copia eſt) quæ hactenus apud eos valuerunt, & nunc ſint etiam firma: hoc enim & in ipſis teſtamentis quibus maxime ſtudemus, jam a nobis ſancitum [43] eſt. Valeat itaque lex in omnibus quæ [44] poſt [45] hæc facienda ſunt inſtrumentis & contractibus: quod enim jam tranſivit, cur quispiam ſanciat? Hanc autem legem peperit contentionum multitudo factarum quidem in litibus, apud nos autem introductarum, quatenus quotidie inter ſeſe contendere homines compeſcamus, præauferentes eis altercationes per legislationis ſubtilitatem.

EPILOGUS.

† Quapropter convenit tuam eminentiam hæc cognoſcentem, manifeſta omnibus facere ſubjectis, & qui hic ſunt, & qui in gentibus: etenim ad alios glorioſiſſimos præfectos, & qui in Heſperia ſunt [46], & in Libya, & qui in Septentrionalibus (dicimus autem in Illyrico) ſcripſimus ut omnis nobis reſpublica plena fiat hac lege ſubjectorum medente concuſſionibus. Datum prid. Non. Jun. CP. Imper. DN. JUSTIN. PP. A. Anno XII. JOHANNE V. C. CONS. [47].

TIT. III.

QUIBUS MODIS NATURALES FILII EFFICIANTUR LEGITIMI [48] ET SUI [49], SUPRA ILLOS MODOS QUI IN SUPERIORIBUS CONSTITUTIONIBUS CONTINENTUR.

NOVELLA CONSTIT. LXXIV.

Imp. Juſtin. Auguſt. Joanni glorioſiſſ. Orientalium prætoriorum præfecto, iterum exconſuli ordinario & patricio.

PRÆFATIO.

REcte dictum eſt a prædeceſſoribus noſtris, & ante omnes a Juliano [50] ſapientiſſimo, quia nulla lex [51] neque ſenatusconſultum prolatum in republica Romanorum, videtur ad omnia ſufficienter ab initio promulgatum, ſed multa indigere correctione, ut ad naturæ varietatem & ejus machinationes ſufficiat. Igitur de iis qui ex naturalibus ad ſuorum [52] jus perveniunt, & multas & varias conſcripſimus leges. Ex his autem quæ a natura rerum per ſingula moliuntur, invenientes aliquid deeſſe iis quæ jam ſtatuta ſunt: hoc in præſenti corrigimus. Sancitum [53] namque eſt, ut ſi quis habens mulierem puro ſibi affectu conſternatam [54], deinde filios procreaverit. & poſtea etiam nuptialia fecerit inſtrumenta [55], & legitimos ex ea procreaverit filios: neque ii qui prius nati ſunt, maneant naturales: ſed & illi connumerentur ſuis, eo quod occaſio omnino eis ſunt naſci legitimis. Sed habuit etiam iſta lex correctionem [1]: nam quia ſecundi & poſt dotem nati mortui ſunt, ideo volebant quidam nequaquam priores a non exiſtentibus adjuvari: & hoc emendavimus, & dedimus eis etiam ſic, vel ſi mortui ſunt ii qui ſecundi fuerunt fratres, habere jura legitima. Illud quoque adjicientes, (quoniam & hoc dubitatum eſt) ut vel ſi aliqui filii poſt dotalia non naſcantur, attamen præcedentes licet ante dotalia nati ſunt inter ſuos adſcribi, patre quippe ad hoc feſtinante. §. 1. Sed [2] & aliud quiddam tale occurrit: ex hujusmodi namque conſuetudine nati filii erant alicui: at ille eos volebat a nobis adinvento modo facere ſuos, nuptialium confectione documentorum, deliberante autem hoc patre, mortua eſt mulier, & conſtitutionis eum deſeruit modus. Non enim erat ad quam oporteret nuptiale confici documentum, & naturales manebant filii invito patre. Et quiddam etiam ſecundum tale exortum eſt apud viros neque nobis incognitos. Procreavit etenim quidam filios non legitime, & filios quidem ultra quam diligebat, & legitimos ſibi fieri ſecundum legem volebat. Ea autem quæ ſunt mulieris, non erant omnino ſine peccato, neque dignam eam exiſtimavit legitimo quodam nomine, quæ etiam ſemetipſam injuriaverat, ſufficit [3] enim hoc tantum dicere. Quapropter ſecundus iſte modus eſt, qui filios gravat: in priori quidem poſt mortem matris: in ſecundo vero, per id quod illa peccavit. §. 2. Novimus autem etiam quendam tertium modum: Pater namque volebat legitimos facere filios: & ad ea quæ de dotibus ſancita ſunt a nobis, reſpiciebat: filii vero ſentientes, quoniam quædam inopinate eveniſſent ad matrem eorum (licet uxorem non legitimam exiſtentem, a quodam cognato divite) maligne ſimul & doloſe agentes, matrem occultaverunt, ne eos facere legitimos eſſet patri poſſibile, & moriente forte matre, maternarum rerum fruerentur uſufructu: hoc quod patribus dat benefaciens lex. Talibus itaque reſiſtere artibus, legis eſt proprium ſubtilis, quam in præſenti ſancimus.

CAP. I.

De variis modis legitimandorum filiorum naturalium, & de legitimatione per matrimonium, *ſeu de contracto cum matre naturalium liberorum matrimonio ab ipſo patre naturali.*

SI [4] quis ſane non habens filios legitimos, naturales autem tantummodo, ipſos quidem ſuos facere voluerit, mulierem vero aut non habet penitus, aut quæ non ſine delicto ſit, aut quæ non appareat, habeat autem ſecundum quandam legem ad matrimonium præpeditam: damus ei fiduciam nova quadam & nunc adinventa a nobis via ad legitimorum jus perducere naturales, proculdubio ſuis in talibus caſibus non exiſtentibus filiis. Sicut [5] enim quidam a præcedentibus nos adinventus modus eſt, qui libertos ad ingenuitatem deducit, præmandans [6] quidem eos alio quodam actu, & dans eis aureorum jus annulorum, poſtea [7] vero ad ipſam deducens naturam [8], quæ ſervum & liberum ab initio non diſcrevit, ſed liberam hominis fecit prolem: ſic & nos hunc modum adinvenimus cauſæ: & licebit id patri, ut in iis qui dudum a nobis dicti ſunt modis, vel etiam ſi quis alter occurrerit talis: multæ namque, ſicut prædiximus, naturæ [9] ſunt novitates. Liceat igitur, (ſicuti prædiximus) patri, ſi [10] legitimam non habeat ſobolem, filios reſtituere naturæ, & antiquæ ingenuitati, ſi ex libera ei fiant, & ſuos de cætero, & ſub poteſtate habere: neque enim a principio, quando ſola natura ſanciebat, hominis (antequam [11] ſcriptæ provenirent leges) fuit quædam differentia naturalis atque legitimi, ſed antiquis parentibus antiqui filii mox ut procedebant, fiebant legitimi. Et ſicut in liberis [12] natura quidem liberos fecit omnes, bella [13] vero ſervitutem adinvenerunt: ſic etiam hinc natura quidem legitimas produxit ſoboles: attamen ad concupiſcentiam diverſio [14] naturales eis immiſcuit: tanquam ergo ſimilibus paſſionibus factis, oportet etiam medelam ex qualitatibus inveniri: illam quidem a prædeceſſoribus noſtris, hanc vero a nobis.

CAP. II.

De legitimatione ex teſtamento.

SIt [15] igitur licentia patri matrem in priori ſtatu relinquenti, ſi ex veritate aliquid circa [16] thorum [17] apparuerit deliquiſſe, (aliter namque fieri hoc in talibus caſibus non permittimus) & ſi quædam circumventio eſt, aut non eſt, aut lateat, aut *aliquid etiam aliud* fiat circa eam, aut quod prohibeat venire ad viam ducentem ad dotalia: etiam ſic providere filiis, & offerre imperatori precem hoc ipſum dicentem, quia vult naturales ſuos filios reſtituere naturæ, & antiquæ ingenuitati, & legitimorum juri, ut ſub poteſtate ejus conſiſtant, nihil a [18] legitimis filiis differentes: & hoc facto exinde filios frui tali ſolatio: & neque fraudare poſſe patrem, & celantes matrem, & jus legitimorum abjicere. Uno enim hoc modo omnibus hujusmodi naturæ exceſſibus & adinventionibus, in iis qui legitimos non habent filios, medemur, ita brevi ſolatio tantum naturæ impetum corrigentes. §. 1. Si vero ſolummodo naturalium filiorum pater hoc [19] quidem propter quasdam fortuitas circumſtantias non agat: moriens vero ſub quodam prædictorum caſuum ſcripſerit teſtamento [20], *velle ſibi eos legitimos eſſe filios ſucceſſores*: etiam hujus rei damus licentiam: ſupplicantibus tamen etiam ſic filiis poſt mortem patris, & hoc dicentibus, & oſtendentibus patris teſtamentum, & heredibus exiſtentibus, in quantum pater eos ſcripſerit: & ab imperio hoc percipientibus: ut in uno eodemque hoc quod agitur, ſit donum patris & principis: id eſt, dicere, naturæ [21] ſimul & legis: & hoc dicimus nullum anteriorem legitimum perimentes modum: ſed etiam hunc addentes, in quibus illos accipere non licet, omnino enim ſuis exiſtentibus, deinde naturalibus procreatis, aut primitus natis, nequaquam legitimorum jus eis adjicitur; niſi forſitan per conſtitutiones noſtras; quæ dotalium inſtrumentorum introduxerunt modum.

CAP. III.

De legitimatione per adoptionem.

ET nos non latuit, quia etiam adoptionis [22] modus erat antiquitus ab aliquibus ante nos imperatoribus ſuper naturales ad legitimos transferendos non improbabilis exiſtimatus: ſed æque piæ memoriæ noſter pater [23], & conſtitutio ab illo prolata talia reprehendit [24]. Manere ergo & illam in ſuis terminis volumus: quoniam caſtitatem diligenter conſideravit: & incompetens eſt, quæ bene excluſa ſunt, rurſus ad rempublicam revocare.

CAP. IV.

Qui ſine dotalibus inſtrumentis contrahere non poſſunt. Julianus hic num. 243.

ILlud quoque melius arbitramur conſtituere competenter, quod ex plurimo cauſarum experimento cognovimus: multæ quidem & continuæ lites nuntiatæ noſtræ majeſtati, ad opus nos deduxerunt hujus legis. Quia enim & antiquis promulgatum eſt legibus, & a nobis ipſis ſunt hæc eadem conſtituta, *ut etiam nuptiæ extra dotalia inſtrumenta ex ſolo [25] affectu valeant & ratæ ſint*: ſed falſatis contractibus noſtra ex hoc eſt completa reſpublica: (nam introeuntes teſtes ſine periculo mentientes, quia vir vocabat [26] *Dominam* cohærentem, & iſta illum ſimiliter nominabat: & ſic eis finguntur matrimonia non pro veritate confecta) hoc exiſtimavimus oportere ſecundum naturales definire leges. Novimus etenim, & caſtitatis [27] ſumus amatores, & hoc noſtris ſancimus ſubjectis, ſed nihil eſt furore [28] amoris vehementius: quem retinere philoſophiæ [29] eſt perfectæ, monentis etiam & inſilientem atque inhærentem concupiſcentiam refrænantis, ut ii qui hoc tali detinentur, ſi abſtinebunt ſermone ad eas quas amant, quæ eis non per blandimenta conferunt: denique in tantum etiam ante nos legislatores ſcierunt animorum affectus, ut etiam donationes [30] conſtante matrimonio prohiberent: ut non concupiſcentiæ magnitudine victi, latenter paulatim conjuges ſemetipſos privarent ſua ſubſtantia. Hæc ergo caſta lege ſancire bene ſe habere credidimus. §. 1. In majoribus [31] itaque dignitatibus, & quæcunque usque ad nos [32] & ſenatores, & magnificentiſſimos Illuſtres, neque fieri hæc omnino patimur: ſed ſit omnino & dos, & antenuptialis donatio: & ad omnia quæ honeſtiora decet nomina. Quantum vero in militiis honeſtioribus & negotiis, & omnino profeſſionibus dignioribus eſt: ſi voluerit legitime uxori copulari, & non facere nuptialia documenta: non ſic quomodocunque & ſine cautela effuſe, & ſine probatione hoc agat, ſed veniat ad quandam [33] orationis domum, & fateatur ſanctiſſimæ illius eccleſiæ defenſori [34]: ille autem adhibens tres aut quatuor exinde reverendiſſimorum clericorum, atteſtationem [35] conficiat declarantem [36], *quia ſub illa indictione, illo menſe, illa die menſis, illo imperii noſtri anno, conſule illo, venerunt apud eum in illam orationis domum ille, & illa, & conjuncti ſunt alterutri*: & hujusmodi proteſtationem, ſi quidem accipere volunt aut ambo convenientes, aut alteruter eorum, & hoc agant, & ſubſcribant ei, & ſanctiſſimæ eccleſiæ defenſor, & reliqui tres, aut quantoscunque voluerint: non tamen minus trium literis hoc ſignificantibus. §. 2. Si vero etiam hoc illi non egerint: ille tamen talem reponat [37] chartam venerabilis illius eccleſiæ defenſor in ejusdem ſanctiſſimæ eccleſiæ archivis [38] (hoc eſt, ubi [39] venerabilia vaſa ſervantur) prædictas ſubſcriptiones habentem: ut reconditum ſit omnibus ex hoc munimen, & non aliter videatur nuptiali affectu eosdem conveniſſe, niſi tale aliquid agatur, & omnino ex literis cauſa teſtimonium habet: his ita geſtis, & nuptias, & ex eis ſobolem eſſe legitimam. Hæc autem dicimus, ubi non dotis, aut antenuptialis donationis ſit documentum: fidem enim in ſolis teſtibus ſuſpectam [40] habentes, ad præſentem venimus diſpoſitionem.

1 l. 1. ff. de jurej. l. 25. §. 3. ff. de prob. l. 3. C. de reb. credit. 2 c. 1. in fin. ſ. h. t. 3 Πλήρωσιν, impletionem. 4 Inſtrumentum non dicitur completum, priusquam ſubſcriptum a teſtibus ſit: adeo ut ſola tabellionis ſubſcriptio non ſufficiat, nec credatur ſcripturæ tabellionis ſine teſtibus. In judiciis tamen acta ſine teſtibus valent: l. 31. C. de donation. ideoque Rolandus a Valle, vide conſ. 38. n. 5. 6. refert ad inſtrumenti neceſſaria, ſubſcriptionem, ut & ſequentia, tabellionem rogari a contrahentibus: locum contractus inſeri, n. 4. & 7. adde Jul. hic n. 228. 5 Σημεῖα, notas. Julianus. Comparatione non tantum literarum, ſed etiam notarum falſitas arguitur. Jul. hic n. 238. Notæ non ſunt literæ, l. 6. in fin. ff. de bon. poſſeſſ. ſed literarum compendia. 6 Teſtibus & Tabellione abſentibus aut mortuis, is, qui jus ex teſtamento prætendit, comparationem ejus cum aliis ſcripturis notarii fieri, poteſt petere. 7 Poſtulans comparationem inſtrumentorum fieri, jurare debet de calumnia. 8 Jurisjurandi formulam obſerva. 9 Ἐπ' ἀγοραίοις Scrimg. id eſt, in forenſibus inſtrumentis. 10 Notarius per ſubſtitutum poteſt ſubſcribere. 11 Miniſter ac ſubſtitutus notarii, amanuenſis. 12 Ἀριθμητήν, argentarium, numeratorem pecuniæ. Fingamus contineri in inſtrumento pecuniam numeratam fuiſſe per Titium, vide Julian. hic n. 239. 13 Puta tabellio, ejus amanuenſis & argentarius pro tribus teſtibus habentur. 14 Ἀριθμητής, id eſt, argentarius. 15 Amanuenſis ſcil. 16 Confecto a ſe operi. 17 Solus tabellio, ſcil. μόνος ταβελλίων, teſtimonium ipſius probabile ſit, Julianus hic. 1. Harm. 6. ibi. ἴσον ὅτι ἀξιοῖ. ſed tamen Cujacius hic ex hujus Novellæ ſententia requirit duorum teſtium præſentiam aut ſubſcriptionem. alias forenſe inſtrumentum fidem non habere ex ſolius notarii fide: aliud eſſe in inſtrumento actus inſinuato apud magiſtrum cenſus, vel magiſtratus municipales, vel defenſores plebis. vide l. publicati. 2. C. de teſtam. 18 Al. momentum. 19 Mortui tabellionis inſtrumentum falſi per duos teſtes poteſt argui, eo tamen ordine: Primo per tabellionis ſubſtitutum & eum, qui creditoris nomine pecuniam numeravit: his demortuis, per teſtes, qui inſtrumento ſubſcripſerunt: his rurſus mortuis, eorum ſcripturæ cum aliis eorundem ſcripturis comparantur. 20 Id eſt, ut qui inſtrumentum petit proferri, juret ſolemniter. 21 Quid jurabit? ſe nulla malitia uſum. vide Jul. hic num. 239. 22 Id eſt, qui petit comparationem literarum fieri. 23 Id eſt, qui contrahunt, ſcrupulo & onere eorum, quæ dicta ſunt, poſſunt facile ſe liberare, ſi conſenſerint &c. 24 Inſtrumentum inſinuatum magnæ auctoritatis eſt: ei namque creditur omnimodo. 25 Vid. Jul. hic num. 240. 26 Hoc eſt, qui imperiti ſcribendi. Nov. 44. c. 1. 27 Δύο πάντως. Scrimg. διὰ πάντως. Cujac. 28 Jul. ibid. n. 241. 29 Quinque. J. h. t. 30 Teſtis inſtrumentarius poteſt reprobari, ſi ignotus ſit contrahentibus. 31 Tabellio ſcil. tabularius ejus, & tres teſtes. 32 Senſus eſt obſcurus, quem ita ex Juliano hic n. 241. collige. Pro imperito literarum tertius poteſt ſubſcribere. Nemo tamen ſcribendi ſic imperitus eſt, quin inducta illi manu ab uno teſtium, *ſanctam crucem* facere poſſit, & paucas literas ſcribere. Hoc ita peracto, quinque teſtes ſubſcribere debent, quod præſentibus eis imperitum ſcribendi cognoſcentibus, res omnes ita proceſſerint, Jul. dicto loco. vide quæ ſcripſi ad Novell. Leonis 72. & ita literarum imperiti debent inſtrumenta componere. Sic in accuſatione pro literarum imperito ſcribi poteſt, l. 3. §. 2. ff. de accuſ. 33 Signum crucis intelligit. Nov. 90. in fin. vide l. ult. §. 2. C. de jure delib. 34 De quibus convenit, ut in ſcriptis fierent. 35 Contractus ex non ſcripto per teſtes aut jusjurandum probari poteſt, Jul. num. 242. 36 Jusjurandum genus eſſe probationis, hinc colligere poſſumus. 37 Hinc ſumpta eſt Authentica, *At ſi contractus. C. de fide inſtrum.* 38 De vi & poteſtate hujus conſtitutionis in quantitate, Jul. hic. 39 Id eſt, 72. ſolidos, adde l. ult. C. ſi certum. 40 Non hoc ait, Rerum vilium non admitti petitionem, cum & gallinæ Nov. 69. c. 1. §. 1. & §. 16. Inſt. de rerum diviſ. & quinque pedum admittatur petitio, vide l. 5. C. fin. regund. ſed æquum negat eſſe ſcrupuloſas nimis & curioſas ſolennitates in contractibus, non ita magnæ quantitatis habendis, requiri. 41 De vi & poteſtate hujus conſtitutionis in loco, Julian. hic. 42 Ruſticorum ſimplicitas ſumma eſt: ideoque ruſticitas dicitur innocens & quieta. l. 3. Cod. de defenſor. civit. Remittitur ruſticitati ſolennitas teſtamenti faciendi, ut hic: & l. 31. C. de teſtam. ut & in nuptiis, c. 4. in fin. J. Nov. prox. Volunt etiam ignoſci ruſtico, propter ignorantiam inveſtituram intra tempus ſtatuto definitum non petenti. l. 25. §. 1. ff. de liberis & poſthumis. Alio ſenſu dicitur ruſticitas, id eſt, imperitia, quæ poteſt etiam in urbanis hominibus eſſe, ea non excuſat ſemper a tutela, l. 6. §. 19. ff. de excuſ. tut. nunquam vero a pœna edicti de in jus vocando, l. 2. C. de in jus vocand. 43 De teſtamento ruri facto vide l. 31. C. de teſtam. 44 De vi & poteſtate hujus conſtitutionis in tempore, Julian. hic. 45 Vid. l. 7. C. de legibus. 46 Italia. 47 Id eſt, anno 538. 48 Adde Paponem 3. Notar. 6. c. de legitimation de baſtards: & 5. Arreſt. 5. c. de legitimations. Goth. De liberorum differentia & legitimatione vid. Ritterſhuſ. in expl. Novell. part. 4. c. 12. & part. 7. cap. 4. & 17. Anſ. 49 Julian. conſt. 67. De ſuitate liberorum & de nuptiis, Index Reginæ, Græci vero ita, περὶ τῶν παίδων, πῶς χρὴ νοεῖσθαι αὐτοὺς γνησίους ἢ νόθους. καὶ περὶ ἀπροίκων συνοικεσίων. Poſſis ergo huic titulo recte conjungere Novell. 89. de modis, quibus naturales efficiantur ſui, & de eorum ſucceſſione ab inteſtato, adde §. ult. Inſt. de nuptiis: & Nov. 12. c. 4. & c. 27. 50 l. 10. 11. 12. ff. de legib. 51 d. l. 11. 12. 52 Qui efficiuntur ſui, legitimi, juſti. 53 l. 10. C. de naturalibus liberis. 54 Ἐγνωσμένην, cognitam. 55 Pater non habens legitimos liberos, ſi concubinatum in matrimonium convertit, liberos naturales legitimos efficit, (lege Conſtantini & Zenonis, neque l. 5. C. de naturalibus liber. Hodie autem & ex Novella Juſtiniani 18. requiruntur, præter matrimonium, dotalia inſtrumenta) non eos tantum, quos ſuſcepit ex ejusmodi matrimonio, ſed & antea natos, eosque in poteſtatem ſuam redigit. l. 10. C. de naturalibus. (Idem dicendum eſt de eo, qui conceptus in concubinatu; natus eſt autem in matrimonio, arg. l. 5. §. 2. ff. de ſtatu hom.) ſive poſtea nati filii vivant, ſive mortui ſint liberi. quod & obtinet, licet ſi omnino nullus alius procreatus ſit, verſic. ſed habuit. infr. hic. l. 11. Cod. de natural. liberis: Jul. hic. Quid ſi nuptias cum matre naturalium liberorum non contraxit, aut ei dotalia non fecit inſtrumenta, demus enim, eam mortuam eſſe: demus, matrem pudicitiam vulgaſſe, ſuſceptos tamen ex ea liberos a patre diligi? pater reſcripto principis legitimare eos poteſt, §. 2. J. hic. Jul. hic. Poteſtne invitos legitimare? poteſt, §. 2. J. hic.

1 Vid. Jul. hic. 2 Per l. 11. C. de naturalibus liberis. 3 Hinc ſumpta eſt Authentica, Præterea. C. de naturalibus liberis. 4 Jul. num. 245. 5 Argumentum nota a jure aureorum annulorum conceſſo libertis, ad legitimationem liberorum naturalium. 6 Προκαθαίρων, id eſt, repurgans. 7 Intelligit reſtitutionem natalium. 8 Omnes homines natura liberi, nullus ſervus. 9 Natura multa innovat. Novell. 73. 10 Habens legitimos liberos, naturales legitimare non poteſt, niſi contracto cum ipſorum matre matrimonio. 11 Ante ſcriptas leges, omnes liberi ex æquo legitimi. 12 Omnes liberi (id eſt, omnes filii) natura liberi. Nov. 89. c. 1. & 9. 13 §. 3. Inſtit. de jure perſonarum. l. 4. ff. de juſt. l. 64. ff. de cond. indeb. 14 Ἐκτροπή, hoc vult: Naturales liberos carnalis eſſe concupiſcentiæ. 15 Hinc ſumpta eſt Authentica, Item. C. de naturalib. 16 Puto hic quæri, Num patri liceat ex adultera & in adulterio ſuſceptos liberos legitimare? 17 Quia in corpus ſuum peccavit. Jul. hic. 18 Effectus legitimationis. 19 Hoc eſt, ſi juſta cauſa dotalia inſtrumenta impediat. Jul. hic. 20 Patris teſtamento quomodo legitimari poſſunt naturales liberi. 21 Naturæ, ſi ad patrem referas: legis, ſi ad principem. 22 Dixi ad tit. C. de adopt. 23 Subaudi: Juſtinus. adde Nov. 89. c. 11. §. 2. 24 Ut cum patribus filios naturales legitimos per adoptionem facere liceat. adde Julian. hic n. 243. 25 Ἀμοιβαίᾳ διαθέσει, mutua affectione, dixi ad l. 30. ff. de reg. jur. 26 Vide quæ notavi ad l. 19. §. 1. ff. de annuis. his adde illud Epicteti in Enchirid. αἱ γυναῖκες εὐθὺς ἀπὸ ιδ' ἐτῶν ὑπὸ τῶν ἀνδρῶν κυρίαι καλοῦνται. Hieronymus *adverſus Jovinianum*, velanda Domina, celebrandus natalis ejus. 27 Caſtitas amica legibus. 28 Furore amoris nihil violentius, οὐδὲν εἶναι μανίας ἐρωτικῆς σφοδρότερον. Scrimg. τὸ μαίνεσθαι δὲ ἆρ' ἦν ἔρως βροτοῖς, Euripid. in Antigon. ἔρωτα διπλασιασθέντα μανίαν γίγνεσθαι Theophraſtus. Plato quoque amorem vocat furorem in *Phædro*, & Plutarchus apud Stobæum ſerm. 185. eas ob cauſas quærit Clarus 5. ſentent. 60. An amor excuſet a delicto, puta receptatione rerum furtivarum, ſortilegio amoris cauſa facto, injuria illata & ſimilibus: furor enim verus excuſat. l. 14. ff. de off. præſid. huc tandem redit, Amorem nimium a pœna non excuſare, ſed tamen eam elevare: qua in re ſubſiſto. Nam ſi nimius amor pœnam in delictis elevat, & nimium quoque odium, capitalesque inimicitiæ pœnam elevabunt. Et tamen punitur, qui ad adulterium committendum amico domum præbuit, l. 9. ff. ad l. Jul. de adult. punitur quoque, qui affinem vel cognatum latronem conſervavit, quamvis mitius, nec enim par eſt delictum eorum, qui nihil ad ſe pertinentes recipiunt, l. 2. ff. de recept. 29 Philoſophorum eſt, ac perfectorum, amorem refrænare. 30 Donationes conſtante matrimonio vetitæ, ob nimium inter conjuges amorem. 31 In ſenatoriis nuptiis, dotalia inſtrumenta & donatio propter nuptias requiritur: in aliis vero, qui honeſtiore militia funguntur, ſcriptura ſufficit, Jul. conſt. 67. n. 245. Derogat tamen huic legi Nov. 117. cap. 4. 32 Ἡμετέρων ἐστὶ συγκλητικῶν Scrimg. id eſt, noſtros ſenatores. 33 Matrimonium eſt contractus eccleſiaſticus, unde & in templo coram eccleſia celebratur, & eccleſiæ conſpectum, ſolemnitatem & fidem requirit. Placet illud ſummopere: Præter matrimonium, nuptias requiri: id eſt, præter nudam conjugii conventionem, requiri ſolemnitatem, ritum & ſacram benedictionem in eccleſia Chriſtiana uſitatam. Sed de ea re dicam plenius ad Nov. Leonis 89. ut & de clandeſtinis nuptiis ad l. 7. Cod. de repud. 34 Qui ἔκδικος. 35 Atteſtatio nuptiarum initarum petitur a miniſtris eccleſiæ. 36 Forma atteſtationis eccleſiaſticæ nuptiarum initarum. adde Jul. hic n. 245. 37 *Regiſtres des mariages.* Huc refer Rebuffum tom. 2. tractat. de regiſtris ſeu libris baptiſmi, ſepulturæ, & aliorum actuum: facit l. 3. ff. de cenſibus. 38 De archivo alias dixi ad l. 9. §. 6. ff. de pœn. adde l. 30. Cod. de epiſcop. audient. 39 Τουτέστιν ἐν τῷ εὐαγεῖ κειμηλιοφυλακίῳ. Ita legunt hic Græci. Jul. hic n. 265. in ſancto oratorio. 40 Major igitur hic ſcripturæ quam teſtium fides eſt. vide tamen l. 15. C. de fide inſtrument.